



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

S. Adalbertus Episcopus, non autem Albanus, ut in p[a]edo Pastoralis scriptum est, Ruthenorum, siue Russorum destinatus, sed Vuandalorum Apostolus uocatus. cap. XLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

S. ADALBERTVS EPISCOPVS,

Non autem Albanus, vt in pædo Pasto-
rali scriptum est.

Ruthenorum, siue Russorum destinatus, sed Vuan-
dalorum Apostolus vocatus.

ipse enim:

Correxit orbem terræ, qui non commouebitur. Psal. 95.

Cap. XLVII.



ODEM quo cæteri habitu, Episcopi videlicet, scu-
tum in fasciam diuisum, in cuius superiori parte
aurea, dimidius Leo ater, in inferiori vero rubet
scalæ argenteæ insunt, quod est Russorum insigne,
manibus tenentis, conspicitur S. Adalbertus Epi-
scopus. Hic cum ex Monacho monasterij S. Mari-
mini Treuirensis, secundus Rugianorum siue Ranorum Archiepi-
scopus anno 961. factus fuisset, Helena eorum Regina sic petente,
cum videret se in negotijs fidei, pro quibus eo missus fuerat, parum
aut nihil proficere, populoque duræ ceruicis, & in uitijs enutrito
inaniter prædicare, eorum excaecationem miseratus post multas ab
illis perpeffas iniurias, mortis imperio uix elapso, ad suos reuersus
est. Inde anno 966. ex Archiepiscopo Abbas Vuirzburgensis, Mo-
nachorum electione factus est. Postmodum sanctitatis eius fama cre-
scente ab Ottone I. Imperatore, à quo primum etiam Rugijs datus
fuerat Pastor, ex monasterio suo reuocatus, Metropolitana Magde-
burgensi Ecclesiæ, tunc primum ab Imperatore erectæ, primus Ar-
chiepiscopus (ut mea est sententia) anno 971. impositus, tam per se,
quam per alios & maxime Monachos Corbeienfes, Vuandalis popu-
lis Euangelium prædicauit, & non paucis ad fidei normam addu-
ctis, eorum Apostolus appellatus est. Obiit anno Domini 984. Epi-
scopatus Magdeburgensis, 14.

ANNOTATIO.

*Cum primum presens opus aggressus essem, & in Bugiano nostro, eo-
plus fidei tribuebam, quam oportebat, legissem S. Albanum Episcopum
& Martyrem, Russos ad fidem Christianam adduxisse, nihil amplius con-
siderans, eundem ut talem huic tertio fidei ramo apposui, vt ex eius inscri-
ptione in pædo pastorali sculpta, quæ habet, S. Albanus Episcopus, cla-
rissime*

vixisse omnibus patet: verum cum postea diligentius quærerem quis esset
 iste S. Albanus, quisue res eius scripsisset, aut quo florisset tempore, quo-
 ne genere mortis obiisset, ne verbum quidem apud auctores reperire po-
 tui, cum ab omnibus quos viderim, inter quos præcipui sunt nosster Tritte-
 minus (quem coriphæum suum habet Bugianus, male tamen ab ipso intelle-
 ctus) Crantzius, Regino Abbas, Cratepolius, Genebrardus, & alij, non Al-
 banus sed Adalbertus nominetur, & ab isdem agnoscatur Monachus s.
 Maximini Treuirensis (non autem S. Albani ut non recte sensit Bugia-
 nus) uno tamen Genebrardo excepto qui dicit fuisse Monachum Corbe-
 iensem, hæc fortassis ratione, quod illius cœnobij nonnulli Monachi, primi
 Ratorum, siue Rugorum Apostoli fuisse scribuntur à quibusdam, quos ipse
 Genebrardus adducit lib. 4. suæ chronologia, qui cum ab auctoribus nõ no-
 minentur, & legisset Genebrardus, vt ipse ait, in Hirsaugia Trittemij huc
 Adalbertum Monachum Corbeiensis, eundem vnum ex præfatis fuis-
 se credidit. Eius citationem non reprobo, simile quid tamen in chronico
 Hirsaugie non recolo me legisse, quod si fuerit ex librorum potius vitio,
 quam Trittemij, accidisse credendum est: libro enim quarto de vir. ill. Or-
 di. S. Ben. c. 103. vbi de Adalberto Magdeburgensi, & c. 114. vbi de Ru-
 thonensi, semper Monachum S. Maximini scribit, quamuis erret in nomi-
 ne Archiepiscopatus, vt diximus in annotatione nostra ad eundem ad
 Archiepiscopos Rugorum, lib. 2. & quos ipse diuersos credidit, nos vnum et
 eundem fuisse tenemus, tum ratione temporum, tum etiam nominum tam
 proprii, quam monasterij, quibus diligenter a nobis consideratis, & opinio-
 nibus historicorum citatorum exacte inter se collatis, diuersos suspicari nul-
 lo modo potuimus. Quid Bugianum impulerit vt eum Albanum nomina-
 ret, inuestigare non valeo: quare autem Monachum monasterij S. Alba-
 ni crediderit, & martyrij insuper gloria coronatum, illud fecisse arbitror,
 quod Libutius, qui S. Adalbertum in Archiepiscopatu Rugorum ante cef-
 sit, monachum S. Albani fuisse scribat: istud vero, vel deceptus equiuo-
 catione alterius Adalberti, de quo iam meminimus, qui à Prussis occisus
 est, vel certe ex arumnis, & persecutionibus quas ipse Adalbertus passus
 est, ita vt vix mortem euadere potuerit, vt in eius actibus legitur. Hæc
 pauca dixi, ne quis mihi succenseat, quod talem errorem, negligentia cras-
 se, magis quàm voluntate facti, præfenti operi inseruerim: qui licet magnus sue
 vitæ, effecit tamen vt Bugiani scripta & cautius, & maiori cum diligentia
 postea legerim, nec ita facile fidem adhiberem illi, qui in citandis historico-
 rum auctoritatibus, adeo licentiosus esset, quod non semel in suis scriptis fe-
 cit. Auctores qui de eius prædicatione agunt sunt Regino, lib. 2. Trittem.
 de vir. ill. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 114. Crant. Saxon. lib. 4. c. 14. & 17. & alij
 S. BRV.